

R. P. D.

STADION

Bresten. Decimarum.

Ven. 22. Iunij 1753.

1 MOTAM jam indè ab anno 1684. litem instaurauit ex integro Parochus Ecclesiæ Niemierouiensis sub annum 1699. in Tribunali Nunciaturæ Poloniæ aduersùs Ven. Collegium Societatis Iesu Ciuitatis Bresten. quà Dominum, & possessorem Villæ *Poni Kuvi* positæ in ambitu Palatinatus Brestensis in Magno Ducatu Lithuaniæ instando pro reintegratione ad quasi possessionem juris

assequendi Decimas manipulares ex Fundis memoratæ Villæ, qua se fuisse à laudato Collegio spoliatum conquestus fuit: à prosequutione tamen Iudicij abstinuit, licèt in comprobationem assertæ possessionis septem induxerit Testes sollicitè examinatos.

2 Obfirmatum, quoad vixit Prædecessoris silentium redarguendo *Antonius Kraus* hodiernus Rector Parochialis Ecclesiæ comparuit sub annum 1747. in olim adito Tribunali Nunciaturæ, obtinuitque pronunciari, constitisse, & constare de quasi possessione in jure exigendi Decimas manipulares ex enunciata Villa, & fore propterea Parochum reintegrandum ad controuersam quasi possessionem, tenerique Patres Collegij ad purgationem Spolij, & ad solutionem Decimarum non solutarum pro summa liquidanda. Iudicio Tribunalis Nunciaturæ minimè adhæsit A. C., qui Sententiam protulit reuocatoriam præcedentis nactam authoritatem rei judicatæ ob non prosequutam intrà juris terminum appellationem. In vim itaque Commissionis mihi delatæ cum clausula = *De Causis* = rogaui hoc manè = *an constet de re judicata, seù potiùs de Causis restitutionis in integrum in casu &c.* = & sua tantùm jura proponente Collegio, ac dilatione reiecta, pro qua immeritò supplicabat Parochus, excepi responsum = *Prò informante.*

3 Toto enim jure cautum manet, oportere saluam, immotamque stare rem iudicatam, sublato remedio restitutionis in integrum, donec succumbens plenè docuerit læsum se indè fuisse ex irrepto in Sententiam vitio aut nullitatis, aut iniustitiæ ex vulgatis juribus, & ad passim notata per *Rotam*, signanter *in Æsina Dotis* 26. *Iunij* 1751. §§. 4., *&* 5. *coram Reuerendissimo Cortada Episcopo Zamoren.*, *& in Foroliuien. Reintegrationis* 17. *Ianuarij superioris anni* §.4. *coram eodem.*

4 Vestigium nullitatis certè quidem non præsefert Sententia A. C.: At neque iniustitiæ, semel ac retineatur in Facti specie, actionem instituisse Rectorem Ecclesiæ Parochialis Nimierouiensis in Iudicio Spolij super reintegratione ad quasi possessionem juris exigendi Decimas manipulares aduersùs Patres Collegij Societatis Iesu ex Villa PoniKuui, & simul etiam vicissim præmittatur, iuxtà indolem instructi Iudicij, obstringi Actorem concludere præ cæteris antecedentem suam quasi possessionem ad *Text. in Cap. Cum ad Sedem de restit. spoliat.*, *ibique Abb. num.* 17., & cum pluribus firmat *Rota in Vilnen. Bonorum* 4. *Februarij* 1733. §.4. *coram clar. mem. Cardinali Aldrouando*, & passim.

5 Onus porrò eiusmodi nullo certæ probationis genere ipse imple-

pleuit : quum deductæ in præcedentibus instantijs depositiones Testium de anno vsque 1699. examinatorum non pertingunt designatum finem. Id quod, vt planum fiat, prænotandum in antecessum est, Villam mox dictam, comparatam à Collegio Societatis Iesu Bresten. originariè distraxisse in Coniuges de ZardesKis, tradita reali illius possessione *die* 15. *Maij* 1619. ad triennium cum ampliatione ad alterùm triennium, & de triennio ad triennium vsque ad pretij restitutionem Venditores Stanislaum Niemiera Palatinum Podlauiæ, & Euam MogielnicKa Vxorem, postquam ijdem enunciati Venditores in vim donationis reportatæ à Sophia Kauvezia Villam acquisierant *die* 9. Aprilis eiusdem anni.

6 Præsupposita verò præmissa facti circumstantia, impingunt in mendacij labem Testes: Si namque excipiatur Septimus *Stephanus Kusxtyb* deponens de solutione Decimarum absque temporis connotato, dum cęteri testentur exegisse Parochum Decimas, quo tempore Stanislaus Venditor Villam possidebat *Summario Informantis num.* 15. *lit. A. ad F.*, falsa omninò comperitur depositio, ideoque omni rationis jure despicienda ad notata per *Felin. in cap. Fraternitatis num.*21. *de Hæretic. Rota in Nuperr. decis.*77. *num.*3., *& decis.*255. *num.* 8. *tom.*3., *& in Sypontina Funerum super manutentione* 10. *Iunij* 1748. §.13. *coram R. P. D.meo Caniiliac*.

7 Semel ac enim alienatio Villæ stipulata à Stanislao, eiusque Vxore, vnacum effectiua traditione possessionis in commodum Coniugum de ZardesKis contigit sub diem 15. Maij anni 1619., admitti eo ipso prorsùs nequit factum solutionis Decimarum manipularium fauore Parochi Ecclesiæ Niemierouiensis, quam Stanislaus tunc Villam minimè possidens fundauit, & in Parochialem erexit, assignatis Decimis manipularibus die prima Augusti anni 1620., & ità effluxo iam anno, ex quo Villam alienauerat, eiusque possessionem apprehenderant Coniuges de ZardesKis.

8 Quin ad excusandum apertum falsitatis vitium iuuet contendere, Testes referre actus solutionis ad possessionem captam à Stanislao post obitum *Præclai Orbouski*, in quem Villam distraxerant Coniuges de ZardesKis, vtendo facultate ijsdem concessa in Instrumento originariæ venditionis alienandi Villam pro eodem tempore, & pretio; Siquidem, licet Stanislaus attentauerit inuasionem alienatæ Villæ, eamque, hostili facto impetu, vastauerit, decesso Præclao secundo Emptore, huius nihilominùs Vidua superstes constans perstitit in possessione munita præsidio, & authoritate decretorum Officialium, & Iudicum Palatinatus Brestensis, quos palam est damnasse Inuasorem ad refectionem damnorum, & ad solutionem impositæ mulctæ, necno n adjudicasse irreuo-

eabile Villæ dominium fauore enunciatę Viduæ Præclai *dicto Summ. n.* 13. *lit. A.*, *&* B.

9 Accedit deindè, inductos relato anno 1699. contrarios memoratos Testes pro exactione Decimarum sub tempus possessionis Villæ penès sæpedictum Stanislaum, nempè ad annum 1619. antè diem 15. Maii, quum postmodum dominium, & possessio ex præmissis commigravit in Coniuges de Zardeschis, non valuisse juridicè deponere super asserta tunc temporis solutione, perpendendo singulorum ætatem, & interjecti ab enunciato anno 1619. ad annum 1699. temporis interstitium: quippè quia vel notam penitùs habere nequiverunt disputatam exactionem, vel non ità perfectò rationis usu potuerunt actus nosse, ut sit deferenda fides depositioni per *Text. in Leg. Testium* 3. §. *Lege Iulia*, *&* *L. Inviti* 19. *in fin. ff. de Testib.*, *Narbon. de ætat.* 14. *ann. n.* 30. *Rot. cor. Caprar. dec.* 492. *n.* 3., *& cor. Ansald. decis.* 727. *num.* 30.

10 Et quamvis primus in ordine Testis *Paulus Glorvachi* solutionem Decimarum non referat ad tempus possessionis Villæ apud Stanislaum, adhùc cum anno 1699. ageret ætatem annorum 60., & testimonium perhibuerit de exactione *antè incursionem Cosaticam*, adiectà declaratione, *jam sunt anni* 50, *quando Cosatici incursionem fecerunt*, & simul retulerit, quod Decimam manipularem de Villa *Ponikuvi huic subditi devehebant*, idque contigerit *tempore possessionis Rev. Stephouschi*, quodque tempore incursionis Cosaticę Rex *Vladislaus moriebatur*, quisquè indè percipit, fore eidem abnuendam fidem, veluti testanti de re asserta prò tempore ætatis suæ nondum completæ annorum *decem* sub tot, tantisque facti circumstantiis eius intelligentiam superantibus *Rot. coram Ansald. decis.* 878. *num.* 15., *& in Romana Filiationis* 10. *Ianuarii* 1744. §. 17. *coram Emo Millino*: Magisque dùm affectata, & ad opportunitatem prodita videri debet depositio cum firma, ac distincta relatarum circumstantiarum memoria post annos jam effluxos quinquaginta ad monitum *Rot. decis.* 1297. *numer.* 12., *& duobus seqq. part.* 19. *recen.*, *& coram Molin. decis.* 1023. *num.* 54.

11 Ratio nec ulla haberi debet depositionis septimi Testis *Stephani Kuxyh*, tametsi recensitas suprà exceptiones minimè patiatur; tùm quià unicus est in suo dicto, & singularis *ad Text. in cap. veniens de Testib.*, *& Leg. juris jurandi ff. eod.*, *& alibi*: tùm quià testando Parochum tùnc litigantem ab aliquot annis non percepisse Decimam, censetur implicitè affirmasse, ipsum eumdem Parochum aliquo tempore reverà exegisse: quo in dicto discrepat profectò ab aliis Testibus asserentibus non fuisse ullo prorsùs tempore à litigante Parocho Decimam perceptam, ac ideò dissonantia

ejus-

ejusmodi abrogat ipsi hinc quoque fidei authoritatem *Rot. cor. Falconer. tit. de probat. dec.5. n.17.*, *& in Romana Filiationis* 19. *Iunii* 1741. §.14. *coram clar. mem. Card. Calcagnino*.

12 Quotquot præterea Testes examinati de anno 1699. tantò minùs promerentur attendi in conflictu præsertim aliorum ætate gravium, qui à Collegio inducti, jurato adseverant, non fuisse unquàm Parocho Niemierowiensi præstitas continuò eas Decimas ex Villa *PoniKuui* neque id ullo factum tempore audivisse à suis Maioribus; quorum depositio, licèt de negativa cantans, prævalere in themate debet contrariis Testibus super affirmativa inductis, quùm irrelevantes ex hactenùs constabilitis nedùm detegantur, verùm prætereà Testibus super negativa plura assistant adminicula, proùt limitando in hisce terminis oppositam regulam observat *Rot. coram Peutinger. decis.85. num.6.*, *& 7.*, *& coram Cerro dec.190. num.3.*

13 In numero autem adminiculorum eliminantium quasi possessionem in jure assequendi Decimas obviam fit *primò* quod, retenta facti circumstantia, juxtà quam habetur assignationem Decimarum peregisse Stanislaum originarium Venditorem Villæ, postquàm illam alienaverat sub conventa, assertaque libertate ab omnibus oneribus, & per consequens multò fortiùs ab onere Decimarum adjecto subindè ab eodem Venditore: Verisimile propterea hinc est, utcumque supponeretur, potuisse, onus controversum adiicere, tamen stante antecedenti promissione libertatis ab omni onere stipulata in actu venditionis, non habuisse exequutionem successivam assignationem Decimarum in detrimentum Emptorum.

14 Succedit, Parochum curasse sibi in Judicio decerni prætensam reintegrationem de anno 1684., tacitumque dein quievisse ad annum 1693., instauratamque sub annum 1699. cum sollicita inductione Testium examinatorum super antecedenti asserta possessione: quin ab indè citrà turbaverit PP. Collegii Societatis Jesu perseverantes in usu, & fruitione Villæ immunes omninò à præstatione Decimarum: alienum namque, his stantibus, est à verisimili executione factæ assignationis; voluisse tùnc Rectorem Ecclesiæ Parochialis litem intermittere, quoties inducti Testes coadiuvassent promotam spem reintegrationis *Rot. in Neapolitana Census* 31. *Ianuarii* 1729. §.*Interrupta coram bo. mem. Nunez*, *& in Romana Dotis*, *seù Vineæ* 6. *Decembris* 1743. §.5. *coram R. P. D. Meo Bussio*.

15 Inutile demùm foret jactare contrarios inductos Testes veluti numero plures, ac deponentes de exactione Decimarum, in qua habet Parochus assistentiam Juris, conjungi oportere ad probandam quasi possessionem: Etenim probationi ex

con-

conjunctione quæsitæ obsistit intrinseca, & extrinseca singulorum depositionis ineptitudo *Rot. in Maioricen. Immissionis 5. Iunii 1739. §.12. coram Rmo P. D. Meo de Vais Decano, & in Sabinen. Decimarum 29. Ianuarii 1745. §.19. in fin. coram bo. mem. Lana.*

16 Quo verò ad Juris assistentiam, omisso, nùm prò effectu reintegrationis ad quasi possessionem juris decimandi, debeat ulteriùs convinci ejus exercitium, fundatum in effectiva quasi possessione, proùt tradunt *Card. de Luc. de Decim. disc.219. sub litt.A.*, unum hoc est originem habuisse assertum jus decimandi à particulari titulo assignationis actæ per Stanislaum Palatinum Podlaviæ in Fundatione Ecclesiæ Parochialis Niemieroviensis, ac igitur extraneam evadere assistentiam Juris Communis ex *Text. in Cap. Cum contingat de Decimis, Rot. coram Molin. decis.434. numer.11., & seqq.*

17 Verùm, rejectis ad suum congruum Judicium inspectionibus afficientibus titulum juris decimandi in Fundis Villæ *PonicKuvi*, satis visum fuit in præsenti Judicio possessorio assertæ reintegrationis innixæ prætenso Spolio non convinci antecedentem Parochi possessionem adversus PP. Collegii Societatis Jesu Civitatis Bresten, qua non facta probatione per argumenta univoca, & efficaciter concludentia, locum non obtinet actio Spolii, & consequutiva reintegratio ad firmata in supracitata *Vilnen. Bonorum 9. Februarii 1733. §.5. coram clar. mem. Card. Aldrovando, & in confirmatoriis 15. Novembris 1735. §.9., & §.13. coram clar.mem. Card. Calcagnino, & 3. Decembris 1736. §.11. coram R. P.D. Meo Vicecomite.*

Et ità &c. unica &c.

ROMÆ MDCCLIII.
Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ

Superiorum permissu.

Druki [illegible] dotyczące dziesięciu różnych województw polskich

20.000